



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Fidei Exhibita Invictiss. Imp. Carolo V. Caesari  
Avg. in Comicijs Augustæ. Anno M. D. XXX.**

**Melanchthon, Philipp**

**Augsburg, 1535**

**VD16 C 4710**

Ad Lectores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34184**



**H**AEC CONFESSIO PRORSUS ignorantibus Principibus, qui eam Cæsari exhibuerunt, ab auaro aliquo typographo, ante semestre publicata est. Et ita excusa est, ut multis in locis appareat de industria deprauata tam esse. Cum autem Principes, nec si uelint, queant eam nunc e manibus hominum extorquere, & tamen periculum sit, ne mendæ illæ, primæ æditionis pariant nouas calumnias, necesse fuit recognitam & emendatam denuo ædere, quia non solum ad existimationem Principum, sed etiam ad religionem pertinet, præstare, ne ipsorum titulis spargantur in uulgius huius generis mendosa scripta. Quare nunc emittimus probe & diligenter descriptam Confessionem, ex exemplari bonæ fidei. Addidimus & Apologiam, quæ etiam Cæs. Maiestati oblata est. Verebatur enim futurum, ut alibi æderetur nõ foelicius, quam ædita est Confessio. Quanquam autem aduersarij placari nolint, tamen speramus omnes bonos ac prudentes uiros ubique gentium his libellis lectis, intellectuuros esse, q̄ nullum dogma contra autoritatem scripturæ sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ profiteamur. Sed quod nostri optimo iure quosdam abusus reprehenderit, & præcipuis locis doctrinæ Christianæ, qui ad id tempus perniciosissimis opinionibus obruti fuerant, lumen attulerint. De iustitia fidei omnia templa, monasteria, scholæ, denique libri omnes theologorum recentium antea muti erant. In doctrina pœnitentiæ nusquam tradebatur certa & firma consolatio conscientiarum. Nemo docebat peccata remitti per fidem in Christum. Doctrina satisfactionum carnificina erat conscientiarum. Sacramenta impie prophanata sunt, postquã recepta est opinio, quod ex opere operato iustificent. Et hæc opinio doctrinam fidei prorsus oppressit, & multiplicem idolatriam peperit. Traditiones humanę plus quam Labyrinthi erant, quia partim Iudaicis ac

*cois flexus.*

*Mendacis.*

*Blasph.*

*Hæresis.*

AD LECTORES.

superstitiosis, partim tyrānicis interpretationibus, in infinitū au-  
ctæ fuerāt. Postea relaxatio traditionum collata fuit ad quæstū.  
*flexus* Hæc uitia nostri reprehenderunt, non ut Ecclesiasticam politiciā  
dissoluerent, sed ut gloriam Christi illustrarent, ut euangelium  
natiuæ puritati restituerent, ut pijs conscientijs consulere. Ne-  
que nunc possunt deserere patrocinium ueritatis, cum Christus  
dicat: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor  
& ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Qui autem nega-  
uerit me coram hominibus, negabo & ego eum corā patre meo,  
qui in cœlis est. Nunc igitur rogamus omnes bonos uiros, ne de  
nobis, tantum ex aduersariorum scriptis aut clamoribus iudiciū  
faciant, qui miris technis & calumnijs ueritatem obruere conan-  
tur, sed quod æquissimum est, audiant nos quoque & cau-  
sam totam cognoscant, quæ cum ad gloriam dei, ad  
religionem, & ad salutem animarum perti-  
neat, nemini debet esse ignota.